

Libro I, cap. VII, 40: *Et Judas applicuit usque ad hæc verba: Cum tribus millibus viris.*

Libro II, cap. XV, 20: *Et cum jam omnes sperarent usque ad versum 24: Adversus sanctum populum tuum.*

Libro I, cap. VII, 40: *Et oravit Judas usque ad versum 42: Malitiam illius.*

Libro II, cap. XV, 24: *Et hic quidem ita peroravit usque ad versum 27: Dominum cordibus orantes.*

Libro I, cap. VII, 45: *Et commiserunt exercitus prælium usque ad verba illa: In prælio.*

Libro II, cap. XV, 27: *Prostraverunt non minus usque ad: Magnifice delectati.*

Libro I, cap. VII, 44: *Ut autem vidit usque ad versum 46: Non est relictus ex eis nec unus.*

Libro II, cap. XV, 28: *Cumque cessasset usque ad versum 30: Jerosolymam perferri.*

Libro I, cap. VII, 47: *Et acceperunt spolia usque ad hæc verba: Et attulerunt.*

Libro II, cap. XV, 31: *Quo cum pervenissent usque ad versum 35: Contra templum suspendi.*

Libro I, cap. VII, 47: *Et suspenderunt usque ad versum 48: In lætitia magna.*

Libro II, cap. XV, 34: *Omnes igitur usque ad versum 37: Pridie Mardochei diei.*

Libro I, cap. VII, 49: *Et constituit usque ad finem capitis: Dies paucos.*

Tunc ex libro II, cap. XV, 38, subjungenda sunt hæc verba: *Igitur his erga Nicanorem gestis, et ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessa.*

Libro I, cap. VIII, 1: *Et audivit Judas nomen Romanorum usque ad finem capitis XIII: Habitavit in Gazaris.*

Libro II, cap. I, 4: *Fratribus, qui sunt per Ægyptum usque ad versum 9: Mensis casleu.*

Libro I, cap. XIV, 1: *Anno centesimo septuagesimo secundo usque ad finem capitis XVI: Post patrem suum.*

Tunc lib. II, cap. I, 40: *Anno centesimo octogesimo octavo usque ad versum 19 capitis II: Locum purgavit.*

Denique lib. II, cap. XV, 38: *In his faciam finem sermonis usque ad finem capitis: Erit consummatus.*

Atque hæc, ut putem, satis verisimilis et exacta est horum librorum dispositio juxta seriem gestorum, et successionem temporum. Interim pro ulteriori eorumdem intelligentia

Observandum est, quod historia Machabæorum contineat decursum quadraginta circiter annorum. In his vero libris supputantur isti anni juxta æram regni Græcorum, quæ, exciso Persarum imperio, proprie cepit ab Alexandro magno, qui, devicto Dario Codomano, totum imperium in Græcos transtulit, et mortuus, divisum reliquit suis principibus imperium, ex quibus Seleucus Nicanor, seu Nicator; id est, Victoriosus nominatus, in Babylonia, Media, Susiana, aliisque regionibus orientalibus regnum constituit. Præfati autem anni non ab initio regnantis Alexandri, nec a morte ejus statim sumunt initium, sed ab hoc Se-

leuco, quando plene firmavit regnum suum, nempe annis 12 et 8 mensibus post mortem Alexandri, qui a devicto Dario Codomano tantum supervixit annis sex. Adeoque primus annus regni Græcorum juxta computum libri primi vergit ad finem anni decimi noni regni Græcorum absolute spectati, incipiendo nimirum illud regnum ab initio regnantis Alexandri in Persia, et aliis Asiæ regionibus. Juxta computum vero libri secundi anno primo jam inchoatus erat annus vigesimus, juxta aliquos vigesimus primus regni Græcorum absolute spectati: quia ut minus computus libri secundi est posterior semianno (juxta aliquos sesquianno) computa libri prioris.

Porro æra, quam novam inchoavit Seleucus, originem suam habet a mense nisan, qui correspondet fere nostro martio; quia illo mense Seleucus, devicto Antigoni æmuli sui filio Demetrio, imperium Asiæ sibi vindicavit. Hic annorum computus vocatur Seleucidarum, regni Græcorum, macedoniæ, et ab Ægyptiis alexandrinis; quo cum uterentur Judæi in Judæa degentes, lib. I Machabæorum, ab aliquibus etiam dicitur computus judæicus. A mense vero septimo, vel anni ejusdem, vel anni sequentis inchoantur anni vulgo dicti antiocheni vel syriaci, forte a reditu Selenci ex Asia minore jam subacta in Asiam majorem; et hic computus etiam ab aliquibus dicitur secunda æra Seleucidarum, aliis vocatur chaldaicus, syro chaldaicus, etc. Ex notata illa duarum ærarum diversitate, solvuntur apparentes antilogiæ, seu variae difficultates, quas hæretici movent contra authenticitatem canonicam horum librorum. Hoc autem ut plenius fiat, sit

QUESTIO PRIMA. — AN UTERQUE NOSTER MACHABÆORUM LIBER SIT CANONICIS SCRIPTURIS ANNUNCIANDUS.

Resp. et dico 1: Uterque hic liber non fuit ab initio Ecclesie ab omnibus admissus ut canonicus et divinus.

Probatur. Inter divinos ac canonicos libros non numerat eos index confectus a S. Melitone episcopo sardensi, ab Origene, a concilio laodicæno, a S. Hilario, et a S. Gregorio Nazianz. Unde et idem Gregorius, orat. 22, dum Machabæorum laudes celebrat, non adducit aliquem textum horum librorum, neque mentionem facit eorumdem, sed ex libro Josephi laudem eorum desumit.

Testatur etiam S. Hieron. quod libri Machabæorum ab Ecclesia sui temporis non fuerint recepti ut canonici; sic enim loquitur præfatione in libros Salomonis: *Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit.* Denique S. Gregorius Magnus, lib. XIX Moral. cap. 13, citans locum ex libro I Machabæorum, præmittit: *Non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesie editis, testimonium proferamus.*

Dico 2. Licet jam enumerati scriptores non admitterent hos libros tanquam certo canonicos (nam plus dicere non voluerunt, dum eos inter canonicas Scri-

pturas non retulerunt), ab initio tamen a multis et præcipuis Ecclesie scriptoribus, ac SS. patribus ut canonici admissi fuerunt, et ut tales jam ab omnibus admittendi sunt.

Probatur. Vetusissimus Origenes, etsi in sacrorum librorum indice eos prætermittat, ipsos tamen ut genuinos divinæ Scripturæ libros laudat lib. II Periarchon cap. 1 dicens: *Ut autem ex Scripturarum auctoritate hæc ita se habere doceamus, audi, quomodo in Machabæorum libris, ubi mater martyrum, unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, ait: «Rogo te fili, respice cælum, etc.»* Et in cap. V Epist. ad Romanos probat contra hæreticos valentinianos, quod aliqui in veteri etiam lege pro Dei legibus mortem subierint, quod pernegabant valentiniani. Legant, inquit, Machabæorum libros, ubi beata mater cum septem filiis martyrium suscepit. Unde nisi secum pugnaverit Origenes, dicendum, quod præfat. in Psalmos, ubi habet indicem librorum canonicorum, et tamen in eo non ponit libros Machabæorum, secutus fuerit canonem Hebræorum, locis autem jam citatis ex propria sententia, et Ecclesie catholice traditione locutus fuerit.

Similiter Tertullianus, lib. adversus Judæos, cap. 4, ex libris Machabæorum probat quod observantia sabbati fuerit temporanea et licite potuerit omitti: *Nam, inquit, et temporibus Machabæorum sabbatis pugnando fortiter fecerunt, etc.*

Sanctus Cyprianus lib. de Exhortatione martyrii volens ex Scripturis divinis milites Christi ad martyrium animare, subtrahit humani sermonis ambagibus, statuit ponere sola illa, quæ Deus loquitur, et quibus servos suos ad martyrium Christus hortatur, ad longum citat plura loca ex cap. VI et VII libri II Machabæorum. Unde non minus canonicos illos existimavit, quam reliquos Veteris et Novi Testamenti libros, ex quibus suas ad martyrium exhortationes composuit. Idem epist. 35, quæ est ad Cornelium papam, libros Machabæorum, ex quibus testimonium depromit, *Scripturam divinam* appellat.

Sanctus Ambrosius lib. de Jacob, et Vita beata, cap. 10, 11 et 12, Eleazari et septem fratrum gloriosa certamina prædicat, assumens verba illorum librorum. Item lib. I de Offic. cap. 40 et 41: et lib. III, cap. 29.

Sanctus Hieronymus ex sententia Ecclesie loquens, lib. V Commentariorum in Isaiam ad cap. 23, postquam dixisset quod nonnulli Cethim Cyprum interpretentur, subjungit: *Quoniam plerique nostrorum, et maxime Machabæorum principum, Cethim Italiæ Macedoniæque insulas arbitrentur. Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander rex Macedonum egressus sit de terrâ Cethim.* Ponitur id I Machab. I, dicit id Scripturam commemorare; ergo libros Machabæorum supponit esse Scripturam. Ex eisdem libris testimonium profert Commentario in cap. VII et IX Ecclesiastes, et in cap. VIII Danielis. Unde dicendum, quod S. Hieronymus, quando dicit hos libros non esse canonicos, id asserat hoc sensu, quod non infallibiliter, et apud omnes illo tempore canonici fuerint, nondum scilicet facta plena et infallibili Ecclesie decisione.

Sanctus Augustinus totus est pro canonica auctoritate horum librorum. Nam imprimis lib. de Cura pro mortuis, cap. 1, probat, sacrificia et preces pro defunctis per exemplum Judæ Machabæi, qui misit duodecim millia drachmas argenti Jerosolymam, ut offerretur pro peccatis mortuorum sacrificium. Lib. etiam XVIII de Civit. Dei, cap. 36, ita scribit: *Ab hoc tempore apud Judæos restituito templo, non reges, sed principes fuerunt usque ad Aristobulum: quorum supputatio temporum non in Scripturis sanctis, quæ canonicæ, appellantur (certo scilicet, et ab omnibus), sed in aliis invenitur, in quibus sunt et Machabæorum libri: quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones vehementes atque mirabiles, qui, antequam Christus venisset in carne, usque ad mortem pro Dei lege certaverunt.* Et lib. ^{II} contra Gaudentium, cap. 31, sic loquitur: *Hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi sicut Legem, et Prophetas, et Psalmos: sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur.* Denique lib. II de Doct. christ. cap. 8, cum præmisisset regulam, quam secuta est Ecclesia in approbandis his et similibus libris, tanquam canonicum recitat cum omnibus aliis utrumque hunc librum. Verba ejus sunt: *In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum catholicarum, quamplurimum, auctoritatem [pius lector et catholicus interpres] sequitur, inter quas sane illæ sunt, quæ apostolicas sedes habere, et epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesie tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quanquam hoc facile inveniri non posset, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Post hanc regulam enumerat omnes libros canonicos, et inter eos utrumque librum Machabæorum.

Præter jam citatos patres auctoritatem canonicam his libris attribuit concilium carthaginense III, can. 47, quod romanorum pontificum et omnium seculorum consensu admissum est. Item facit Innoc. I in epist. ad Exuperium tolosanum episcopum, Gelasius I in synodo romana unum duntaxat librum Machabæorum in indice ponit, sicut et unum librum Esdræ; sed teste Natali Alexandro, in melioribus manuscriptis illius synodi ponuntur Machabæorum libri duo; vel dicendum, quod concilium utrumque librum sub uno comprehenderit, quia eadem est historia, et secundus est epistola quasi compendialis libri primi.

Ex hucusque dictis patulum est, quam fuerit justum et æquum patrum tridentinorum judicium, qui post concilium florentinum, innixi continuæ Ecclesiarum et patrum nobiliorum traditioni, sub pœna anathematis cum aliis Scripturæ libris ab omnibus recipi voluerunt utrumque Machabæorum librum.

Quamvis igitur aliquando de auctoritate canonica horum librorum dubitatum sit a catholicis sine detrimento fidei; de illa tamen jam dubitare prorsus impium et hæreticum est. Unde etiam soli hæretici nostri temporis hos libros tanquam canonicos admittere nolunt; idque ideo, quia isti libri evidenter ostendunt falsa esse ipsorum dogmata. Nam in libris illis stabilitur invocatio sanctorum, probantur suffragia pro mortuis, et celebrantur dedicationes altarium, quæ omnia negant hæretici. Interim quia ipsi varia argumenta conglomeraverunt, quibus demonstrare conantur, quod libri Machabæorum ut canonici admitti nequeant, eadem confutare oportet. Verum antequam hoc faciamus, notandum est, quod hæreticorum argumenta contra auctoritatem canonicam horum librorum, desumantur ex duplici præsertim capite. Primo enim hæretici ostendere conantur quod libri Machabæorum contineant varias falsitates, eo quod, ut ipsi sibi imaginantur, in illis aliqua referantur, quæ repugnant historiis, tum sacris, tum profanis. Secundo ostendere conantur, quod multum inter se dissonent duo hi libri, et sibi mutuo contradicant. Hæc igitur hæreticorum argumenta proponemus, et confutabimus; atque in eisdem confutandis simul explicabimus præcipuas difficultates, quæ in his libris continentur. Itaque

SOLVUNTUR ARGUMENTA PRIMI ORDINIS.

Obj. I. Historia, in his libris descripta, in multis repugnat probatissimis omnium gentium historiis. Atque imprimis Alexander Magnus, lib. I cap. 1, 4, dicitur primus regnasse in Græcia. Atqui tamen certissimum est quod ante ipsum plurimi in Græcia reges fuerint; ergo fabulosa videtur hæc historia utpote tam evidenti veritati repugnans.

Secundo dicitur ibidem §. 7, quod morti proximus Alexander pueros suos, id est, nobiles et duces, ad se vocaverit et dividerit illis regnum suum, cum adhuc viveret: atqui divisionem regni ejus factam esse post mortem Alexandri, testantur vetustissimi et præterpropter cœvi Alexandro scriptores, quique res ejus gestas optime noverunt, v. g., Justinus lib. XII; Diodorus Siculus lib. XVII; Curtius lib. X, et ab omnibus id passim admittitur; ergo, etc.

Tertio, eodem cap. §. 11 dicitur Antiochus illustris, sive Epiphanes regnasse (id est, incœpisse regnare) in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum: atqui Eusebius ostendit, numerando singulorum annos exacte, quod tantum incœperit regnare anno regni Græcorum centesimo quinquagesimo tertio (juxta alios centesimo quinquagesimo quinto), cum tot effluerint usque ad initium regni ejus; ergo.

Quarto, I Machab. VIII, 16, de Romanis dicitur: *Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, et omnes obediunt uni, et non est invidia, neque zelus inter eos*, id est zolotypia. Atqui constantissimum inter omnes historicos est, quod Romani annuè duos consules haberent,

non unum, penes quos summa reipublicæ potestas erat illo anno, nec ullus desuper dubitat; ergo ab imperito aliquo confictus videtur ille liber.

R. nihil horum officere veritati canonicæ horum librorum: nam propositæ difficultates facillime solvuntur. Atque

Ad primum dicendum est, sensum illorum verborum esse, quod Alexander debellato Dario, et eversa Persarum monarchia, condito Græcorum imperio, per totam, qua late patet Græciam, Persidem, Syriam, Mediam, etc., primus regnavit, seu imperium dilataverit, qui ante auspiciatus fuerat regnum cum ditione macedonica, quæ respectu imperii postmodum subacti vix æstimanda est ut provincia. Præterea cum in textu græco loco primus legatur prius, etiam hic potest esse sensus: Alexander primo regnavit in Græcia, deinde in aliis regnis quæ suo subdiderat imperio.

Ad secundum dicendum, quod Alexander antequam moreretur, vel condiderit testamentum, quo post ejus mortem aperto, facta est provinciarum divisio juxta ejus voluntatem, vel talis divisionis faciendæ potestatem dederit Perdicaæ, cui moriens annulum suum tradiderat, ut testatur Curtius. Unde etsi non voce nuncupatus hæres, judicio tamen electus videbatur, inquit Justinus, lib. XIII cap. 7, cui consentiunt Diodorus Siculus, lib. XVIII, Curtius, lib. X et alii historici. Quod autem a Perdica post Alexandri mortem factum est, ab eo vivente vere factum dici potest. Porro quamvis Curtius neget, quod Alexander ante mortem suam condiderit testamentum, illud tamen auctores optimæ notæ constanter asseruerunt, ut refert ipsemet Curtius loco præcitato dicens: *Crediderunt quidam testamento Alexandri distributas esse provincias, sed famam ejus rei, quanquam ab auctoribus tradita est, vanam fuisse comperimus*. Verum Curtio opponimus Diodorum Siculum, qui lib. X Biblioth. testatur, quod Alexander testamentum de toto regno Rhodi deposuerit; de hac enim urbe ita scribit: *Alexander sane... hanc urbem præ cæteris coluerat maxime, ita quidem ut testamentum de toto regno illic deponeret*.

Nec obstat tertium: quia auctor libri primi Machabæorum non incipit numerare annos regni Græcorum ab initio regnantis Alexandri, sed a Seleuco Nicanore, qui regnavit in Syria anno duodecimo post mortem Alexandri, quibus si addas integros quinque, quibus Alexander debellato penitus Dario, et eversa monarchia Persarum, totius Græciæ, Persidis aliarumque regionum imperium tenuit, conficitur numerus annorum 17, qui septemdecim juncti cum numero Scripturæ I Machab. I, 11, nempe cum anno centesimo trigesimo septimo inchoato, vel corrente, facient simul annos 155 completos: sicque ab ipsa origine regni Græcorum bene ostendit Eusebius, quod Antiochus illustris regnare cœperit anno centesimo quinquagesimo tertio completo. Non errat igitur liber Machabæorum, qui dicit Antiochum incœpisse regnum suum anno centesimo trigesimo septimo, incipiendo

scilicet computum ab illo anno, quo post Alexandrum diadema Syriæ sibi imposuit Seleucus. Ideo vero ab exordio Seleuci æram suam incipiunt Judæi et Palæstini, quia tunc suberant regibus Syriæ et Babylonis.

Sunt etiam aliqui, qui existimant 19 annos fluxisse ab initio regni Alexandri usque ad initium Seleuci; et hi dicunt, quod Antiochus incœperit regnare anno centesimo quinquagesimo sexto regni Græcorum: sed eodem modo solvitur difficultas, dicendo nimirum, quod liber Machabæorum non ducat in computum 19 priores annos; quos si addideris annis 157 in Scriptura expressis, etiam inveniuntur anni 156.

Nec obest quartum: nam licet duo consules annue apud Romanos crearentur; tam concorditer tamen fiebant omnia, ac si unus tantum esset; et hinc referri potuit Judæis, quod unus tantum crearetur: neque enim in textu nostro dicitur absolute, quod unus tantum crearetur, sed tantum habetur, quod Judas Machabæus cæterique Judæi omnia ista narrari audierint, quæ isto capite de Romanis referuntur.

Præterea duo illi electi consules annue tantum alternis diebus, et temporibus imperabant; ita ut uno imperante, cessaret alter. Idque a prima consularis dignitatis origine, post Tarquinium Superbum abrogato regno, institutum esse, colligitur ex Livio lib. II, dicente: *Omnia jura, omnia insignia primi consules tenere, idque modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur*. Quare licet physice essent duo annue, unus tantum erat moraliter, cui jus competeat; quia singulis anni diebus tantum unus præerat, v. g., primus primo, secundus secundo die, sicque alternatim usque ad finem anni.

Inst. contra solutionem ad secundum: Referunt unanimiter historici, quod proceres Alexandri armata manu suas sibi respective provincias vindicarent; ergo per testamentum non fuerunt divisæ, nec a vivente Alexandro his illisve donatæ.

R. neg. conseq.: nam potuit vel testamentum fuisse suppressum, vel, quod facit non raro ambitio, uno alteri cedere nolente, vel minorem aut humiliorem suam, quam aliorum provinciam conquerente, facile deventum est ad arma, dum fautores quisque habet, ut in casu proceres Alexandri. Sane, non obstante testamento, hæredes plebei non raro litigant; quid miri igitur, si principes pugnent?

Denique quamvis Machabæorum historia cum profanis non commode conveniret, propter profanas tamen rejicienda non foret, sed profanæ potius regulandæ forent juxta historiam hanc, utpote quæ licet non esset canonica, ab omnibus tamen majoris esset habenda auctoritatis, quam alicujus privati, utpote quæ ab omnibus Ecclesiæ doctoribus adoptata est, ut minus tanquam narratio vera.

Obj. II. Lib. II Machab., cap. II, 4 et seq. narratur, quod Jeremias propheta tabernaculum et arcam fœderis in spelunca montis Nebo absconderit immediate ante captivitatem babilonicam, quando Jerosolyma a Chaldæis vastabatur, et templum incende-

tur; et quod illa tantum invenirentur, et populo restituerentur post solutam captivitatem: atqui fabulosa sunt omnia illa; ergo.

Probatur minor 1: Jeremias antequam destrueretur templum cum civitate, inclusus erat in carcere, ut constat ex Jerem. XXXVII et XXXVIII, nec liberatus est e carcere, nisi jam capta civitate; sic enim dicitur mox citato capite XXXVIII, 28: *Mansit vero Jeremias in vestibulo carceris usque ad diem, quo capta est Jerusalem*. Ergo illa, quæ lib. II Machab. narratur, facere nullatenus potuit.

2. Nabuzardan, princeps militiæ exercitus babilonici, succendit templum et civitatem, columnas templi æneas, bases et omnia vasa Babylonem transtulit, ut habetur IV Reg. XXV. Ergo non potuit Jeremias tabernaculum et arcam abscondere.

3. Post reditum e captivitate, tabernaculum et arca nusquam comparuerunt, nec ulla de his fit mentio in libris Esdræ, aut prophetarum, qui post reditum e captivitate floruerunt, vel in aliquibus Judæorum libris. Cum enim in sancta sanctorum ingressus est Pompeius, quid in templo viderit, describit Josephus lib. XIV Antiq. cap. 8, ubi dinumerat spolia, quæ Titus abstulit in templi expilatione, et nullam prorsus de tabernaculo vel arca mentionem facit: quinimo tunc in sancto sanctorum nec arcam, nec propitiatorium fuisse, docet idem Josephus, lib. V de Bello judaico, cap. 16. Ergo arca, et tabernaculum non fuerunt inventa post captivitatem babilonicam; et tamen juxta hunc librum id promiserat Jeremias; ergo, etc.

R. nego min., et ad probationem ejus dico, quod tempore Sedeciæ in carcerem quidem detrusus sit Jeremias, et in eo servatus usque ad interceptionem civitatis, sed tempore Joakim, quando primum Jerosolymam venit Nabuchodonosor, IV Reg. XXIV, liber erat Jeremias, item tempore Joachin: nam hic ex consilio Jeremiæ se Nabuchodonosori sponte subdidit, ut colligitur ex Jerem. XXVII et XXIX. Unde ante tertiam et finalem sub Sedeciæ Chaldæorum irruptionem, Jeremias tabernaculum et arcam transferre ac abscondere potuit. Quinimo etiam tempore Sedeciæ post occupatam a Chaldæis Jerosolymam, antequam templum incenderetur, eadem abscondere valuit: libertate enim donatus est Jeremias, et e carcere eductus eo ipso, quo civitas intercepta fuit, ut colligitur ex Jerem. XXXIX. Verisimile est autem, quod propheta Domini tabernaculum, arcam, et altare thymiamatis voluerit servare a communi direptione, et absconderit, ne a gentibus violaretur.

Quod autem prædixit Jeremias, ignotum futurum locum, in quo hæc recondita sunt, donec congreget Deus congregationem populi, id non debet intelligi de tempore reditus ex captivitate babilonica, seu de congregatione sub Cyro: nam illa fuit imperfecta, et Judæi, lib. II Machab. cap. II, 48, aliam congregationem se exspectare significant; ideoque ista sub Cyro non fuisse inventa, etsi nonnulli ita existiment, bene probat Serarius quæst. 19 ad c. I et II, l. II Machab.

In loco igitur supra citato sermo est de congregatione Judæorum, quæ erit circa finem mundi, quando Judæi ad veram fidem convertentur. Tunc enim, ut confundatur eorum pertinacia, permittet Deus, ut veniantur quæ a tanto tempore per prophetam abscondita fuerant. Permittet, inquam, hoc, ut Judæi arca visa et agnita impletionem prophetiæ Jeremiæ, sincere se ad Christum convertant.

Obj. III. Lib. II Machab., cap. I, 19 et 20 scriptum est: *Cum in Persidem ducerentur patres nostri, etc.* Item: *Placuit Deo, ut mitteretur Nehemias a rege Persidis.* Atqui totum hoc falsum est; nam Judæi non in Persidem, sed in Babyloniam captivi abducti sunt; ergo, etc.

R. neg. min., et ad probationem dico, quod, cum rex Persarum, Cyrus scilicet, et deinde ejus successores, regna omnia vicina possederint, tunc in more positum fuerit, ut *Persidem* appellarent regiones omnes trans Euphratem, Chaldæam videlicet, Persiam, Mediam, etc., quia nimirum tunc temporis regi Persarum subditæ erant. Nec solis Judæis ille loquendi modus familiaris erat, sed et aliis: sic enim sumit *Persidem* Lucanus lib. III, S. Chrysost. hom. 6 in Matth. dicens: *Judæos e captivitate persica fuisse liberatos.* Hoc autem sensu abducti in Babyloniam, censentur vere abducti in Persidem.

Obj. IV. Auctor libri II Machab. cap. XV veniam petit a lectoribus de erratis, de modo scribendi; ait enim ibidem 7. 39: *Et siquidem bene, et ut historia competat, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi.* Atqui per hoc satis demonstrat, se non scripsisse librum ex afflatu Spiritus S. Ergo, etc.

Prob. min. Si ex illo afflatu scripsisset, non tantum superflue, sed et mendaciter, quinimo blasphemæ petisset veniam a lectoribus, cum nihil falsi, erronei, etc., dicere possit Spiritus S.

Adde, quod idem cap. II, 27 dicat: *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.* Quibus verbis indicat se humano more hunc librum composuisse: atqui hagiographi, seu amanuenses Spiritus S. non ingenio, et labore suo, sed Spiritu S. revelante scripserunt, ut patet Jerem. XXXVI, de propheta Jeremia, qui tanta facilitate dictabat scribæ suo Baruch ea, quæ Deus ei revelabat, ut ex libro aliquo legere videretur.

R. 1. gratis data majore, neg. min. ejusque probationem; quia fieri potest, ut quis a parte rei ex impulsu Spiritus S. aliquid faciat, scribat, et loquatur, ubi tamen nescit quod ex illo impulsu agat. Sic Caiphas, Joan., XI, 50, dicens: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat,* ex instinctu Spiritus S. hoc dixit, dicente Joanne 7. 51: *Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit;* et tamen id nescivit Caiphas, qui spiritu livoris actus, Christum, quem scire poterat et debebat innocentem, occisum voluit. Eodem igitur modo fieri potuit, quod auctor libri I Machab. nescierit se ex instinctu Spiritus S. scribere, sicutque veniam petere potuit a lectoribus, si post om-

nem humanum laborem adhibitum, quem compatitur Spiritus S. dictamen, minus bene conceinne scripserit.

R. 2. neg. maj., ac dico cum Estio, auctorem se excusare, ac petere veniam, non de falsitate, quam metuat scriptis suis subesse; sed de sermone, ac stylo, ejusque ruditate, seu sinelegantia, ut ex citato loco manifestum est. Nam subdit ibidem 7. 40: *Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus: id est stylus nimium exactus, nimiumque affectatus non solet semper esse gratus legentibus.* Jam vero Spiritus S. non uno aliquo stylo utitur, sed alio atque alio, pro diversitate scribentium, ut ex variis Scripturæ partibus et libris manifestum est. Adde, quod pro eo quod nos habemus: *Si autem minus digne, concedendum est mihi, græce sit: Si autem exiliter, et medio modo, hoc attingibile mihi fuit.* Itaque illud *concedendum* non significat, quod auctor iste petat veniam errorum, sed orationis minus politæ, quemadmodum etiam S. Paulus se imperitum sermone confitetur II Cor. XI.

Ad id autem, quod ex capite II adjunctum est, respondeo, Deum quidem esse auctorem omnium divinarum Scripturarum; sed aliter tamen adesse solitum prophetis, aliter aliis, præsertim historicis. Nam prophetis revelabat futura, et simul assistebat ne aliquid falsi admiscerent in scribendo, et ideo prophetæ non alium habuerunt laborem, quam scribendi, vel dictandi: aliis autem scriptoribus Deus non semper eodem modo revelabat ea quæ scripturi erant, sed excitabat, ut scriberent ea quæ viderant, vel audierant, quorum recordabantur, et simul assistebat dictando quod scripturi erant; quæ assistentia non impediabat quominus ante deberent laborare, quid et quomodo scripturi essent. Quare S. Lucas præfat. in Evangelium a se scriptum, testatur se assecutum omnia diligenter, quæ ad Evangelii descriptionem pertinebant, idque ab iis, qui ipsi audierant et viderant, et ministri fuerant sermonis.

Obj. V. Liber I Machab. manifeste repugnat Evangelio; ergo non est canonicus.

Prob. ant. Quia cap. I, 57 affirmat scriptor hujus libri, quod tunc, id est tempore Antiochi Epiphaniis, impletum sit vaticinium Danielis, de abominatione desolationis. Atqui Christus dicit, illud vaticinium nondum impletum, sed tantum implendum esse. nam Matth. XXIV præmonet omnes Salvator: *Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est a Daniele propheta;* ergo, etc.

R. Neg. ant. et maj. probationis: nam loco citato lib. I Machab. non facit aliquam mentionem vaticinii Danielis, sed idolum ab Antiocho in templo Domini collocatum, tantum vocat *abominandum idolum desolationis*, quia desolatum faciebat Domini templum.

Obj. VI. Lib. II Machab. cap. I, 9, Judæi in Palæstina hortantur Judæos in Ægypto degentes, et dicunt: *Et nunc frequentate dies Scenopegiæ mensis*

casleu. Atqui illa non coherent cum lege; ergo.

Prob. min. Casleu apud Hebræos erat mensis novus, partim correspondens nostro novembri, incipiebatque cum novilunio novembris, ut patet ex Zachar. VII, 1. Atqui Levit. XXIII dies Scenopegiæ, sive Tabernaculorum, celebrandi erant mense septimo, qui est tisri, qui pro parte correspondet nostro septembri; ergo ista, quæ citato loco dicuntur, non coherent cum lege.

R. neg. min.: quia Judæi in Palæstina non hortantur Judæos in Ægypto degentes ad celebrandos dies Scenopegiæ, de quibus fit mentio in libro Levitici, sed ad celebrandos dies Encæniorum, quando a Juda Machabæo purgatum est templum. Addunt autem: *Dies Scenopegiæ, quasi dicerent: Nos celebrabimus, et vos celebrate mense nono dies purgationis templi eadem alacritate, lætitia et solemnitate, sicut celebrare juxta legem debetis dies Scenopegiæ.* Modus hic loquendi satis familiaris est, dum homines dicuntur encænare, quamvis non sint dies encæniorum, quando eadem faciunt, quæ solent illis diebus fieri.

Obj. VII. Lib. II cap. III, 4, dicitur: *Simon de tribu Benjamin præpositus templi.* Atqui officia templi, et maxime præpositura, ad solam tribum leviticam pertinebant; ergo.

R. hunc Simonem vel fuisse tantum præpositum in rebus profanis, v. g., militari custodiæ, quæ erat circa templum, non autem in sacris: vel si præpositus etiam in sacris fuisset, dicendum est, quod Simon iste præposituram templi sibi illegitime usurpaverit, quemadmodum Menelaus, et alii injuste pontificatum invaserunt ope regum Antiochi et Demetrii. Unde nullus hic est error hagiographi; utpote qui tantum narrat quæ facta sunt, nec omnia dicit esse legitima, et juxta legem facta.

Obj. VIII. In his libris quedam ponuntur, quæ manifeste contrariantur fidei; ergo non sunt canonici.

Prob. ant. Juxta fidem in inferno nulla est redemptio, et immortui peccato mortali sunt in inferno; adeoque juxta fidem pro illis nulla speranda vel expectanda est redemptio: atqui tamen Judas Machabæus, lib. II, cap. XII, legitur curasse offerri sacrificia et orationes pro iis, qui peccato mortali noscebantur immortui; ergo.

Prob. min. Quia pro iis, qui ceciderant in prælio, sacrificia offerri curavit: atqui sciebat eos peccato mortali immortuos: siquidem apprime noverat, quod divinitus essent puniti morte ob peccatum mortale paulo ante commissum, unde ibidem, 7. 40, dicitur: *Invenierunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex (Deuter. VII) prohibet Judæos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta.* Ergo pro immortuis peccato mortali, adeoque et damnatis curavit Judas, juxta hunc librum, offerri sacrificia et orationes, quasi possent ipsis prodesse; quod est contrarium fidei.

Ob hoc argumentum Calvinus cum suis putat manifestum esse, quod libri hi fabulosi et apocryphi, tanquam canonici confecti sint a papistis, ut, inquit, *pro more suo non tantum a viventibus fidei sui sacrificii stipendia accipiant, sed etiam a morientibus testamenta.*

R. neg. ant. et utramque probationem. Nam imprimis certum non est, quod milites illi peccaverint mortaliter auferendo donaria idolorum Jamnienium; si enim hoc fecerint amore prædandi ex bonis hostium, non animo ad idololatriam vel superstitionem propenso, non video materiam peccati mortalis. Lex quidem rigorosa est loco citato Deuteronomii; sed hæc maxime lata est, ne Judæi, jam ingressuri terram promissionis, in idololatriam laberentur, cuius periculum erat, si vel idola ipsa secum ferrent, vel donaria eorum; uti non semel deprehensum est juxta Scripturam. Porro si ab his militibus abfuerit omnis idololatriæ animus et periculum, ob societatem cum piissimo Juda; dici potest, quod peccaverint quidem, ob rapacitatem scilicet, avaritiam, etc., sed hoc peccatum non videatur fuisse mortale. Interim tamen illud in exemplum et adificationem aliorum Deus voluit morte punire, ne alii, etiam cum periculo idololatriæ, similia donaria secum ferre tentarent.

Quod vero mors divinitus inflata non præsupponat semper peccatum mortale, satis manifestum est ex Scripturis, quæ etiam a calvinistis admittuntur, atque inter alia liquet ex III Reg. XIII, ubi propheta Domini ab alio seductus, contra mandatum Dei manducavit in Bethel, postquam impium Jeroboam et populum idololatriæ debite arguisset, et prophetasset altare ibi erectum esse destruendum; et ob mox memoratam inobedientiam, divinitus occisus est a leone; et tamen hunc prophetam tantum peccasse venialiter, communiter admittunt omnes. Ergo similiter etiam præfati milites, quamvis morte puniti sint, potuerunt tantum peccasse venialiter. Judas igitur religiose potuit curare ut offerretur pro peccatis mortuorum sacrificium, ut non tantum pro hujus, sed et aliarum noxarum poenis citius satisfaceret.

Præterea etiamsi supponamus, quod omnes fuerint peccati mortalis rei capiendi illa donaria idolorum, nihil tamen sequitur absurdi, aut contra fidem; nam quidni incipientes pugnam, vel etiam vulnerati se ad Deum converterint, dolentes de ablatione facta contra legem? Cum autem excepto hoc actu peccaminoso, tanquam pios, religiosos, strenuosque legis zelatores, ipsos novisset Judas, poterat et debebat supponere, si non omnes, saltem aliquos esse conversos, adeoque et culpam dimissam esse, remanente tamen aliquo reatu poenæ, qui ut solveretur, cogitans pie et religiose de resurrectione Judas, curavit pro peccatis mortuorum offerri sacrificia.

Mirum sane, quod Calvinus cum suis in tantum debacchetur contra hunc librum propter locum præcitatum, et carpant sacerdotes catholicos; cum ex isto loco vetustissimi patres, atque inter ceteros S. P.